



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Gottfridus Abbas XXI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)


alterum in D. Magdalenæ, in S. Agapiti Martyris honorem alterum excitando: Quæ altaria cæteraque zeli illius monumenta licet hodie destructa sint; optimi tamen Præfulis memoria nostris nunquam in animis oblitterabitur. Monasterium curæ suæ commissum habuit annis 14.; quibus elapsis piè in Domino obiit, anno 1179.

### TRAGOBERTUS ABBAS XX.

Magnam de se expectationem concitaverat Tragobertus, dum Monasterii nostri Abbas anno 1179. renunciatus est: & quidni à Viro præclaris queiscunque dotibus ornato optima quæque sperare jure potuimus? At ecce! non tam datus nobis Tragobertus, quàm ostensus fuisse visus est; anno quippe suscepti regiminis altero obiit.

### GOTTFRIDUS ABBAS XXI.

Secutus Tragobertum proximè fuit Gottfridus anno 1181., qui demandatam sibi gubernandi Monasterii provinciam annis duobus supra viginti laudabiliter administravit: decimam in  
Ost.



Ostheim Monasterio nostro rursus adjunxit, magnam pecuniæ vim jure hæreditario ad se pertinentem nobis dono dedit; quid? quòd etiam ipsius germana soror in Ecclesiam nostram admodum munifica fuerit; ut non abs re Gottfridum Abbatibus de Monasterio nostro optimè meritis accenseamus.

## DIETRIMUS ABBAS XXII.

Abbatum sæculi hujus seriem claudit Dietrimus anno 1213. Monasterio cum imperio impositus; quo Abbate licèt prospera Monasterio nostro tempora fluerent, funestis tamen Franconia fati jactabatur, quippe in quæ incidit Conradi Episcopi Herbipolensis tristissima cædes ab amicis propriis illata; cujus monumentum hodiedum extat in urbe Wirceburgensi excitata ad Summam Ædem columna eo ipso in loco, ubi patratum facinus fuit. Dietrimus extinctus est anno Domini 1220.

